



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An orandum sit pro mortuis. tit. 239

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

SVMMA DOCTR. CHRISTI,
AN ORANDVM SIT
pro mortuis.
TITVLVS CCXXXIX.

TRIA sunt notanda. Primò, quòd nemo orat pro hoc, quod est mortuū, id est, pro corpore mortuo. Secundò, quòd oratio tendat in hoc quod est viuum, id est, spiritū qui est immortalis. Tertio, fructus huiusmodi orationis.

Primò, fides nostra catholica credit propter Christum esse æternam vitam, Ioan. 6. Hæc est voluntas Dei vt omnis qui credit in filium &c. idè credimus animam & spiritum fore immortalem etiam propter Christum. Qui ergò putat spiritum mortalem, ille negat articulum fidei, Credo vitam æternam. Pro hoc articulo plurimùm laborauit Paulus 1. Corint. 15, quòd est resurrectio corporum mortuorum in nouissimo die, & quod spiritus non moritur, Roman. 8, Spiritus viuit propter iustificationē, & iterùm: Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Non dicit, viuificabit spiritum vestrum, sed mortalia corpora vestra, &c. quia anima est immortalis, Eccles. 12. Corpus in morte reuertitur in puluerem terræ, vnde erat, spiritus redibit ad eum, qui dedit illum. Non dicit, spiritum quod corrumpi & mori. Verissimus igitur testis Christus noster est, qui dicit, credentem in se, non videre mortem, Ioann. 8. At corpus non credit, sed spiritus. Ergò est immortalis, &c.

Secundò, hoc verum est, quòd non sit orandum pro mortuo, & quod suffragia non prosint mortuo, id est, corpori hominis sepulto in terra. Non ergò pro corpore oramus in vigilijs, Missis, orationibus sed pro spiritu viuente. Qui ergo non credit

spiritum viuere, qui h̄c credidit in Christum, facit Christum mendacem. Nam Christus dicit: Qui in illū crediderit, victurum æternaliter, & totum Euangelium hoc docet. At certum hoc est, quòd non manus, pedes, oculi, caro, & cæt. credit, sed spiritus: ergò est immortalis, Cùm ergò nescimus quandò spiritus iterum redit in manus Dei, vtrum ad requiem, an ad pœnam veniat, ideò pro illo oramus quem credimus viuere. Hæretici olim & Pagani quia negabant vitam futuram, ideò deriserunt suffragia. Sic Matthæ. 22. Christus contra Saducæos concludit, quòd scriptura vocat DEVM etiam illorum, qui iam dudum mortui erant, id est, secundum corpus non autem secundum spiritum. Ideò inquit: Non est Deus mortuorum, &c. Ergò spiritus illorum vixerunt, ergò pro hoc quòd mortuum est in homine, nō oramus. Quòd si derisores negant spiritum viuere, Christum mendacium faciunt.

Tertiò, vtilitatem igitur & fructum exprimit scriptura, 2 Mac. 12. quæ recitat historiã de Iuda Machabeo, qui dixit: Sancta ergò & salubris, (id est, non erronea neque inanis) est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur: id est, vt à peccatorum pœnis spiritus seu animæ defunctorum absoluãtur. Nam corpora mortua & sepulta non habent pœnam, sed spiritus qui exiuit de corpore, Sic antiqua & simplex deuotio populi dixit Germanicè sacerdotem celebrare, eelmesse, id est. Missam animæ, non autem cadaveris, illi enim, non huic, prodest. Non igitur respicit ad nudum & mortuum corpus, sed ad spiritum seu animam quæ adhuc viuit. Sola inuidia ergò in clericum, abijcit illa suffragia, & auaritia nobilium tyrannorum propter diuitias Ecclesiasticas rapiendas & cæt. & secte magis curant corpora mortuorum in lapidibus, clypeis, statuis, imaginibus, quàm spiritum siue animam.